



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Cyprii, Protonotarii Constantinopolitani, Chronicon Ecclesiae Graecae

Philippus <Cyprius>

Franeqverae, 1679

Patriarchae post captam Constantinopolim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10949

Patriarchæ post captam
Constantinopolim.

- I **P**rimus à Deo vocatus est sapientissimus
GEORGIUS Scholarius, cui
Sultanus Mechemet sceptrum ju-
diciale & pileum sua manu donavit;
aliaque beneficia, quæ Romani
Imperatores Patriarchis præstare solebant, huic
etiam libens concessit. Quum vero Ecclesiam
Christi gubernasset annos v, menses vi, post
abdicatus est.
- II ISIDORVS Pannonicus, vir sanctissimus, *
& mortuus est.
- III JOASAPHUS Coccas, cui Sultanus, quod
Protovestiario non fecisset gratiam illegitimi
matrimonii, nasum & barbam præcidit.
- IV MARCUS Xylocarabes, vir sapientissimus, à
clero expulsus est.
- V SYMEON Trapezuntius, odio adversus Xylo-
carabem concitatus, pravum ambitus funda-
mentum iecit, atque ut Patriarchæ sedem con-
sequeretur, munera Imperatori obtulit. Horum
offendiculorum causa, ab Sultani noverca in
exilium actus est.
- VI DIONYSIUS antistes Philippolitanus, quum
dono Xylocarabis alteros mille florenos addi-
disset, ac conficeret bis millenos, Patriarcha
sedit annos viii. Dein abdicatus est.
- VII MARCUS Eugenicus, cum ei per calumnias,
B 3 quod

quod circumcisis esset, objectaretur, nudato coram Synodo corpore, patentem oculis veritatem demonstravit. Ipse, sycophantis à communione secretis, dignitate exuitur. Symeon revocatur: qui post triennium prorsus loco suo expulsus est.

VIII **R**APHAEL Serbus, peregrinus, & admodum temulentus, ut Patriarchicam raperet dignitatem, regium stipendium quattuor aureorum millibus auxit. Sed quum promissum pecuniæ modum reddere non posset, in custodiam datus, & vulgare debitum & mulctam extraordinariam persolvit.

Octo superiores Patriarchæ fuerunt imperante Sultano Mechemete, qui exactis vitæ suæ annis **LII**, mortuus est tempore sequentis Patriarchæ **D. Maximi**; & post eum imperavit filius ejus Sultanus Pagiazetes.

IX **M**AXIMVS magnæ Ecclesiæ Constantinopoli sapientissimus præfectus fuit: cujus nasum Sultanus diffidit. Ipse sancti Symboli explicationem scripsit, eamque Sultano exhibuit. Idem presbyterissam, quam Patriarcha **D. Gennadius** vinctam à communione secreverat, jejunio sanctisque precibus, mandato Imperatoris absolvit. Hoc quippe, ut fidem Christianorum experiretur, jusserat.

NI-

- X **NIPHON** Theſſalonicæ antiſtes celeberrimus, & ad docendum aptiſſimus. Ejus ætate Symeon Patriarcha, multis bonis & cognatis relictis, diem obiit. Illius heredem ſe oſtentare cupiens Niphon, quum de eadem re teſtes ad Imperatorem duxiſſet; Sultanus, deprenſo eorum mendacio, Patriarcham ſimul & falſos teſtes gravi exilio ſubjecit. Sultanus nimirum Pagiazetes ſede cum depulit, ac **DIONYSIUM** revocavit: qui cum in Patriarchæ domo per annos 11 & menſes vi manſiſſet, ruriſum abdicatus eſt.
- XI **MAXIMUS** Serrarum antiſtes, quum manſiſſet annos vi, ob pravam nominis famam exilio datus eſt, ac **D. NIPHON** revocatus: qui annum i patriarchatu deſunctus, ruriſum in exilium pellitur.
- XII **JOACIMUS** Dramæ Præſul, homo virtute præditus, à Sultano, quod Eccleſiam regulis aureis contegi juſſiſſet, expulſus.
- XIII **PACHOMIUS** Zygnarum Epicoſus. Huic, poſt vnum Patriarchatus ſui annum, Sultanus Pagiazetes tributum donavit. Deinceps à Sultano Selymo in exilium pulſus eſt, ac **JOACIMUS** iterum evocatus.
- XIV **THEOLEPTUS** Joannenorum antiſtes, quum annos viii, & menſes vi, multis magniſque ſcandalis coopertus vixiſſet, tempore Sultani Soleimani deceſſit.
- XV **JEREMIAS** Sophiæ, vir bonus, cum ſancti ſepulcri adorandi cauſa Hieroſolymam profectus eſſet, clerici ſuetis ſibi malis artibus uſi, poſtquam regiū ſtipen-

- stipendium aureis quingentis auxissent, eum expulerunt, & ad honorem provexere
- XVI** **JOANNICIUM** Sozopoleos: quem tres sanctissimi Patriarchæ, cum ipso D. Jeremia, in Ecclesia S. Sepulcri ministrantes, patriarchatu deiecerunt, eumque ut illegitimum sedis in vasorem, vna cum instigatoribus, aut qui ejusdem sententiæ consiliorumve focii fuissent, diris devoverunt. Hunc tamen populus deinceps communi suffragio in exilium pepulit. **D. JEREMIAS**, sede sua legitime recepta, Christianorum Ecclesias, & quæ Constantinopoli erat, id temporis redemit: palam testificatus, civitatem non vi sed pacifice traditam fuisse. Is quoque monasterium Stauronicetæ, in Atho monte instauravit: ibique ætate transacta, & monachus factus, decessit.
- XVII** **DIONYSIUS** Nicomediensis. Hujus tempore Agareni invidia moti, è patriarchica Pammacaristi Ecclesia signum Crucis deiecerunt. Hic Patriarchatu placide functus, diem obiit in Domino.
- XVIII** **JOASAPHUS** Adrianopolitanus, cui in patriarchæ domo, propter bina abs se condita palatia, Superbi nomen datum, communibus suffragiis dignitate exutus, relegatur.
- XIX** **METROPHANES** Cæsareæ & Cappadociæ antistes (cujus ætate decessit Sultanus Soleimanes, & imperavit filius ejus Sultanus Selymus) post 19 patriarchatus annos, conscio Cantuzeno repudiatus est.

- XX JEREMIAS Larissæus, quum sedisset annos x; expulsus est. METROPHANES revocatus, post menses ix decessit. Ita rursus in ejus locum introductus JEREMIAS.
- XXI PACHOMIUS Lesbicus, cognomento Batistas, cum hostiliter D. Jeremiam expulisset in Rhodum, patriarchatu functus est: quem sanctissimi Patriarchæ, D. Silvester Alexandriæ, & D. Joacimus Antiochiæ, de communi sententia throno dejectum, dirisque devotum exilio dederunt.
- XXII THEOLEPTUS Philippopoleos, thronum violenter invasit. Quem ut sapientissimus D. Nicephorus, vnus è sanctis Diaconis, & magnus Protosyngellus submovit, tertium revocatus est D. JEREMIAS, & cum gregem recte atque ordine pavisset, requievit in Domino.
- XXIII MATTHAEUS Joanninorum, cum sedisset dies xvii, repudiatu in sanctinodium montem Atho secessit.
- XXIV GABRIEL Thessalonicæ, vir pius & virtute præditus, post quinos patriarchatus sui menses mortuus est.
- XXV THEOPHANES Athenarum, quum sedisset menses vii, decessit.
- XXVI MELETIUS Alexandriæ antistes, Pegæus, cum ex Creta insula divinitus servata observator throni fieret, D. MATTHAEUS post unum annum revocatus est: qui per annos iv functus patriarchatu expellitur; ac secedens in sanctinodium montem Atho, ibi monachus factus remansit.

C

NE-

XXVII **NEOPHYTUS** Athenarum, post unius anni gubernationem, à Sultano Mechemete in exilium pellitur; tertiumque revocatus est **D. MATHÆUS**, & cum vixisset dies * decessit.

XXVIII **RAPHAEL** Methymnæ (cujus ætate mortuus est Sultanus Mechemetes, & imperavit filius ejus Sultanus Achmetes, anno salutis **MDCV**) sedit annos **v**, & menses **vi**. Atque id temporis venit è sancto monte Atho **D. NEOPHYTUS**, qui thronum recuperavit; & cum in eo mansisset per annos **v**, post ad Rhodum à Sultano exulatum mittitur. Seditque ex commisso antistes Alexandriae **D. CYRILLUS** Lucares, Cretensis, donec Synodus constituit legitimum Patriarcham

XXIX **TIMOTHEUM**, Veterum Patrarum antistitem, qui annos **vi** **ii** Patriarchatus munere functus est; ac in sua valetudine, per lethiferam ut aiunt potionem contracta, debitum commune persolvit. Hujus ætate diem obiit Sultanus Achmetes, regnavitque frater ejus Sultanus Mustaphas.

XXX **CYRILLUS** Alexandriae sapientissimus Patriarcha, cognomento Lucares, Synodi suffragiis impositus est sedi Oecumenicæ, anno salutis **MDCXXI**, die Novembris **v**. ac post unius anni spacium à Sultano Osmane Rhodum relegatur. In ejus locum successit unoculus Amasæ Episcopus **GREGORIUS**; quum sedisset menses **iii**, exilio datur. Huic **ANTHYMUS** Adrianopolitanus succedit: nec multo post ipse Patri-

XXXI

XXXII

XXXIII

Patriarchæ domo expulsus, in Sanctæ Lauræ splendidissimo monasterio, apud sanctinodium montem Atho confedit. **CYRILLUS** revocatus, cum pacifice Ecclesiam annos **VIII** gubernasset, à Sultano Murate in Tenedon rejicitur. Pro eo

XXXIV

ATHANASIUS Patellarius, Cretensis, Thesfalonicæ Metropolitæ inductus, haud diu post loco pellitur. **CYRILLUS** tertium revocatus, cum Ecclesiæ per annum præfuisset, annitente pravo è Berrhœa Cyrillo, rursus Rhodum relegatur. Deinceps, quum Heracleæ Archiepiscopus **NEOPHYTUS**, Cyrilli discipulus filiusque adoptivus, patriarchatu rite ac legitime defungeretur; patrem, magistrum, & de se bene meritum (sapiientissimum dico Cyrillum) Rhodiensi exilio liberavit. Utque in regnatricem pervenit urbem, Neophyti supplicibus precibus sponte indulgit. Qui invalidus gubernandi, ob Patriarchæ domus confusionem, nec magna turbamenta sufferre posset (erat quippe miti placidissimoque ingenio) ut de munere decederet impetravit. **CYRILLUS** quintum revocatus, post vnius anni quinquorūque mensium regimen, operam dante Berrhœensi Cyrillo, & concursu aliquot Methymnæorum, interfectus est à Musa Bassa regni procuratore. nam Imperator Sultanus Murates id temporis ipse adversus Babylona bellum gerebat. Hunc in modum terribimus Berrhœensis parricida, per annum & septenos menses Patriarchatu potitus est. Ast vindex Dei oculus non sivit eum impunitum;

XXXV

sed divina inspiratione principibus summorum sacerdotum excitatis, Imperatori Sultano Murati, à Babylonica victoria cum triumphis tropæisque reverso, pro illius iniquitate, & insatiabili rapina, relationem criminis concessit, eumque Africam Barbariæ in exilium egit. Ubi etiam justas à Deo pœnas, per sævam atque illi dignam mortem sustinuit. Ea tempestate summi sacerdotes, clerici, omnisque populus Christianus congregati, **PARTHENIUM** Adrianopoleos antistitem (qui prius Anchialensis Ecclesiæ res curaverat) urgendo ad capeffendam sedem adegerunt. Susceptaque est dignitas patriarchalis anno communis salutis **MDCXXXIX**, die Iulii quarto.

xxxvi

Finis eorum qui Byzantiæ, in regnatrice urbe, summo sacerdotio functi sunt.

Expositio nova Andronici Imperatoris, qui Metropoles Constantino-
poleos, alias è minoribus ad majores extulit, alias è diverso ad minores thronos deduxit, sicut eas heic notavimus.

- I** Cæsarea & Cappadocia.
- II** Ephesus.
- III** Heraclea.
- IV** Ancyra.
- V** Cyzicus.
- VI** Nicomedia.

Sardes.